



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 34. De Lusitano Principe ad Purpuram Romanam evehendo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

## §. XXXIV.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.*De Lusitano Principe ad Purpuram  
evehendo.*

Jam dudum Emanuel Princeps cum Lusitano Rege Fratresuo similtates, nescio quas habebat, quibus indies auctis non nisi tribus Nobilibus Viris stipatus e Regno excessit, & peragratis variis regionibus tandem in Hispaniam venit, ubi omnibus humanitatis officiis exceptus, cum redituum portionem sibi assignatam haud ultra e Lusitania perciperet, Hispani Regis liberalitate largiter sustentabatur: Alienis tamen subsidiis diutius vivere, Regio Principi indecorum credebatur, quocirca Philippus V. Hispaniæ Rex eo intentus erat, ut Emanuelli de congruis reditibus vel ex Sacra vel ex profana militia prospiceret: Cum ergo mitior indoles hunc Principem potius ad Clericalem statum pertraheret, plurimorum suffragio conclusum erat, sedulo procurandum esse, ut summus Pontifex Emanuele Romanam Purpuram decoraret: rupta igitur omni mora Bentivolio Cardinali datur negotium, ut Romæ Benedictum Papam ad id promoveret, adjecta etiam, si opus foret, comminatione, omne cum Romana

Nn 5

Cu-

Sæc. XVIII. Curia commercium tamdiu interclusum  
 A. C. 1727. iri, donec Princeps votis damnaretur.  
 Enimvero Pontifex pro suo, quo Hispaniæ Regem amplectebatur, affectu  
 lubentissime annuisset, nisi haud leves  
 obstitissent difficultates; præterquam  
 enim, quod laicum nullo prorsus  
 Clericali Ordine initiatum statim ad  
 Cardinalitiam dignitatem promoveri  
 insolitum esset, & ob præcedendi præ-  
 rogativam motus inter Cardinales per-  
 timescendi forent, insuper Lusitanæ  
 Rex, comperto Fratris sui consilio mox  
 Madriti & Romæ per suos Legatos in-  
 tercessit, declaravitque, quod si insuper-  
 habita solemnè sua oppositione nihilo-  
 minus ejus Frater Purpuratorum  
 Collegio adscriberetur, illum nec in  
 Cardinalium, nec in Fratrum suorum  
 numero habiturus esset. Percepta hac  
 Regis declaratione ipsemet Princeps  
 Emanuel a suo destitit proposito, ar-  
 reptoque per Italiam itinere ex Hi-  
 spania Viennam contendit, ubi post  
 quinquennii moram Imperator tantum  
 effecerat, ut Regius hic Princeps cum  
 Fratrem suo pactis utrinque conditio-  
 nibus plene reconciliaretur.

§. XXXV.